



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De vetustatis depositione. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

S. BONAVENTURÆ  
EPISCOPI CARDINALIS  
ALBANENSIS, QVONDAM  
totius Ordinis Minorum Generalis  
Ministri, Seraphici Doctoris Eccle-  
siæ, Speculi disciplinæ ad Nouitios

PARS PRIMA.

*De preparatoriis ad disciplinam.*

*De vetustatis depositione.*

CAP. I.



EPONENDVS est, secundum Ephes. 4, 22  
Apostolum, vetus homo, & induē-  
dus est nouus: quod perfectè im-  
plent, qui transitoriis abdicatis, non  
solùm peccata, verumetiam occasiones fugiūt  
peccatorum; veterisque fermento per puram  
confessionem plenius expurgato, in vitæ noui-  
tate perfecta, soli præligunt Domino milita-  
re. In odore igitur vnguentorum Christi, per  
compendiosam & tutam sacre religionis semi-  
tam currere cupientes, prius rerum tempora-  
lium fasciculos deprimentes abiciant: vt ab  
omni tam possessione, quam cura penitus ex-  
pediti, Christum Dominum expeditè sequan-  
tur, & non sint eis tentationis occasio vel rui-  
næ. Quod si ante religionis ingressum nō fue-  
rint expediti, post ingressum saltē expeditio-  
nem huiusmodi per alias personas, vel per li-  
teras, iuxta superioris arbitrium quanta pos-  
sunt acceleratione procurent: non expectatis  
oportunitatibus, aut vtilitatibus deceptoris,  
quas frequenter diabolus sub specie pietatis

Transito-  
ria omnis  
abdicada.

6 S. BON. SPEC. DISCIP.

suggerit. Summa sit eis utilitas, utilitates huius mundi contemnere propter Christum: iuxta verbum sancti Hieronymi: Nemo renunciat urus saeculo, bene potest vendere, quae contempnit ut venderet. Si habes, inquit, in potestate rem tuam, vende: si non habes, proice. totum Deo dedit qui seipsum obrulit.] Post religionis ingressum continuo debent confessioni faciendae vacare: & de omnibus quae in saeculo a pueritia commiserunt, ad memoriam, quantum poterunt, studiosa sollicitudine reuocatis, generaliter confiteri. Malorum namque confessio, initium est bonorum.] Ordinis ergo status reiicit res atque reatus.

Hieron. ep.  
103. ad  
Paulin. in  
fine.

Confessio-  
ni genera-  
li vacan-  
dum.

August. in  
Ioan. tract.  
22. sub fine.

*De constantia mentis, & cautela contra tentationes diabolicas.*

CAP. II.

**Q**UONIAM autem Pharaeo persequitur Israelem fugientem, & contemptus surgit in scandala, nunc aperte, nunc occulte, sub specie boni periculosius tentas; faciant quod scriptum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore: & praepara animam tuam ad tentationem.] Solent praecipue vires tentationi praebere fluctuatio mentis circa propositum ingressurae vel ingressae religionis, tarda tepidaque repulsio, & deiectio spiritus desolati. Ea propter in primis in proposito sancto cor suum omnino stabiliant & confirmant: ne velut arundo diuersis ventorum flatibus agitati vacillent. Optimum est (inquit Apostolus) gratia stabilire cor. Et Prosper ait, Quemlibet hominem donec se, in eo quod elegit, certa definitione confirmet, velut in quodam deliberationis incertae biuio constitutum, discerpit ipsa diuersitas voluntatum. Virtus (inquit) hortatur &

Exod. 14, 5

Ecli. 2, 1  
Non fluctuandum  
in bono proposito.

Heb. 12, 9

Prosper lib.  
3. de vita  
cens. 6. 16.